

OTTO EPISCOPVS BAMBERGENSIS POMERANO,  
*rum Apostolus.*



**O**Tto filius fuit Bertholdi Comitis in Engere-  
ren uel Andex Saxonum. Is cum optima in-  
dole esset præditus, à patre in bonis literis & uera  
pietate educatus fuit. Itaq; in uirũ sanctum & do-  
ctissimum euasit. Cum ergo Bambergẽsis Eccle-  
sia suo præsule destituta esset, Otto communibus  
suffragijs ibidem Episcopus electus est, anno æta-  
tis 33. atq; salutis nostræ 1102. In ea functione ma-  
gna dexteritate & prudentia per multos annos  
perseuerauit. Itaq; Bolislaus Poloniae dux eius pi-  
etate motus, ipsum adhortatus est, ut Pomeranas  
gẽtes in Christiana doctrina institueret. Eò itaq;  
Otto proficiscens, incolis Pomeraniæ Euangeliũ  
prædicauit, atq; tres fratres eius loci principes Ratiborum, Bugislaum, & Su-  
antepolium baptizauit.